



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 41. Induciæ Deo Sacræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

sepultusque est Bremæ. Successorem habuit Adalbertum Præpositum Halberstadensem, virum nobilissima stirpe natum, eximia corporis specie, atque insignibus animi dotibus præditum. Baculo pastoralis a Conrado Imperatore, & Pallio a Benedicto IX. Papa accepto, Aquisgrani Imperatore, Proceribus & duodecim Episcopis, qui ipsi manus imposuerunt, præsentibus, ordinatus, in illa Cathedra annis viginti novem sedit.

Sæculum XI.
A.C. 1041.

§. XLI.

Induciæ Deo Sacræ.

In Francia, ut vidimus, multa ad pacem reducendam ante annos decem agitata fuerant, sed cum plerique ad illas leges servandas compelli non possent, statutum, ut saltem certorum dierum Induciis nemo pacem turbare auderet, scilicet, a Feria IV. vespere, usque ad Feriam II. sequentis hebdomadæ mane, nemo alteri quamcunque rem vi adhibitam eriperet, nullam injuriam acceptam ulcisceretur, nemo pignus ab invito extorqueret. Quicumque has Inducias violasset, velut mortis reus, quantum a Legibus præscribebatur solveret, aut excommunicatus in exilium pelleretur. Hæ Constitutiones, Induciæ Deo Sacræ, appellatæ sunt, & a multis creditum, quod Deus immissis in transgressores poenis eas

Sup. n. 18.
V. not. Conf.
fort. tom. 9.
Conc. p. 913.
Glab. V. c. 1.
p. 5.

Marca concord. IV. c. 14.

Sæculum XI. eas approbasset. Facile notabat Lector,
A.C. 1041. ideo hos præ ceteris Hebdomadæ dies
 fuisse delectos, ut memoriæ Mysteriorum, quæ in iis peracta sunt, nempe Cœnæ Domini, ejusdem Passionis, Sepulturæ & Resurrectionis consecrarentur.

Induciæ istæ ab Episcopis in compluribus Conciliis, duobus Sanctis Abbatibus, Odilone Cluniacensi, & Richardo Viridunensi maxime adlaborantibus, stabilitæ sunt. Richardo commissum, ut eas in Neustria recipi curaret, eo modo, quo prius in Aquitania & deinde in Austrasia receptæ fuerant. Cum primo hortanti ad pacem Richardo Neustrii subjici nollent, corripiebantur morbo *ardentium*, id est, cœco igne, qui languentium viscera depascebatur. Complures vero opem Richardi implorantes ipso orante sanabantur; unde turmatim ad ejus monasterium convolabant. Ipse infirmis vinum, in quod immixtæ fuerant Sacræ Reliquiæ, & præter alias etiam pulvisculi de lapide Sepulchrali Domini Nostri deterfi bibendum porrigebat, & pacem se servaturos jurejurando promittere cogebat. Hæc Reliquiarum ablutio solum post Missæ Solemnia fieri solebat, sed vas illo potu plenum semper conservabatur, ut devotioni ægrotantium, qui omni hora adveniebant, satisfieri posset.

§. XLII.

Chron. Hug.
Flav. p. 187.
Sup. lib.
LVIII. §.
 57.